



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Croesvs Et Codrvs. hoc est, Copiæ Et Inopiæ Damna vel
Lvcra, à bono iustoq[ue] Mundi Governatore Deo
Distribvta**

Stengel, Georg

Ingolstadij, 1648

§. 1. Pauperum eminentia regia, etiam in hac vita.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-52359](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-52359)

CAPVT X.

*Pauperum diuitias esse regnum calorum,
quod non solum ipsis promissum, sed
etiam alijs per ipsos.*

§. I.

*Pauperum eminentia regia, etiam in hac
vita.*

Matth. 5.
3.

Merito censetur gratia diuina eos
supra naturam euexisse, qui mor-
tem, quã natura horret, non so-
lum, diebus singulis, expectant, verum ho-
ris quoq; singulis desiderãt. Tales ergo cum
sint pauperes spiritu, conficitur pauperta-
tem in beneficijs esse numerandam. Et qui-
dem cur pauperes mortem non formident,
sed ament, satis est declaratum; vt enim
auari, per mortem, ad tormenta, ita pau-
peres spiritu ad gaudia tendunt, *quonia ipso-
rum est regnum calorum.* Non est ipforum
quidem terra, sed maius quid, nempe ipsum
regnum calorum; vt de D. Martino Turo-
nensi Episcopo canit Ecclesia: *Martinus hic
pauper, celum diues ingreditur*, nam ex pro-
misso Christi, *ipsum est regnum calorum.* Ex
quo Christi oraculo duo intelliguntur: pri-
mum

num est eiusmodi pauperes non in altera duntaxat vita, sed etiam in hac diuitibus esse beatiore. Alterum, eos non sibi duntaxat, sed etiam alijs esse vtiliores. Quod inde potest doceri; quia tametsi Seruator noster etiam mitibus, & misericordibus, & mundis corde, &c. regnum caelorum promittat, non promittit tamen, sub nomine *regni caelorum*, sicut paupertati voluntariae, & patientiae in tribulationibus est promissum. Mitibus enim sub nomine *terrae*, misericordibus sub nomine *misereticordiae*, mundis corde sub nomine *visionis Dei*, lugentibus sub nomine *consolationis* &c: beatitudinem aeternam consignat. Pauperes vero beati dicuntur, *quoniam ipsorum est regnum caelorum*, eminent enim inter ceteros, quasi quidam reges. Qua de causa non ait: *quoniam ipsi sunt de regno caelorum*, sed, *ipsorum est regnum caelorum*. Quod ergo discrimen est inter reges & subditos, id quodammodo est inter pauperes ac diuites beatos. Regis regnum, subditi de regno esse dicuntur. Cum ergo ait Dominus, *ipsorum est regnum*, ita eos extollit, vt pro regibus velit haberi. Quod si hoc verum est in ijs pauperibus, qui non sponte, sed patienter tantum sunt pauperes,

Q 2

peres,

peres, quantò magis conueniet illis, qui libera voluntate diuitias abijciunt, & calcant, paupertatemque vltro profitentur?

§. II.

Pauperum potestas regia etiam in hac vita.

Iam verò illud consideratione dignum est, quòd diuina sapientia, quæ cæteris de futuro mercedem promittit, dicens: *possident terram; consolabuntur; saturabuntur; misericordiam consequentur; Deum videbunt; filij Dei vocabuntur: solis autem pauperibus, ac persecutionem patientibus ait: quoniam ipsorum est regnum calorum; quia, vt D. Bernardus ait: Regnum calorum pauperibus non tam promittitur, quam datur. Hinc non dicit, ipsorum erit, sed, est regnum calorum. Etsi enim vera æternaq; beatitudo, non in hac, sed in altera primùm illis vita, haud secus ac ceteris sanctis, conferenda sit, iuxta*

Exod. 33. *illud: Non poteris videre faciem meam: non enim videbit me homo, & viuet; attamen honoris & certitudinis causâ iam illorum esse dicitur. Enimuerò iam est, quoad quamdã iurisdictionem, ac potestatem id alijs quoq; aperiendi. Atq; hoc est alterũ, quod paulò priùs diximus, pauperes alijs esse longè plus vtilis, quàm diuites. Diuites possunt*

alijs